

Kamil Kantak

"Studyum o Kadłubku", Oswald Balzer, Lwów 1934-1935 : [recenzja]

Collectanea Theologica 17/4, 553-555

1936

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](#), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

RECENSIONES.

Oswalda Balzera Pisma pośmiertne. T. I i II Studyum o Kadłubku. Lwów, 1934—1935.

[*O. Balzer: Studium de Vincentio Kadłubek*].

Habent sua fata libelli, quod notum axioma in mentem venit quicunque hoc magnum opus de Vincentio Kadłubek eiusque chronicon perlegit. Habemus bene in memoria negativam opinionem de Vincentii chronicō quam iam Zeissberg protulerat et quae ad summum gradum a Thaddaeo Wojciechowski promota erat, nimirum quod chronicon non erat conceptum qua opus historicum sed manuale rhetorices scholarum cathedralium, et auctor ipse Kadłubek non erat magister graduatus sed talis appellatus qua praceptor scholae (scholasticus). Quae opiniones non tam mirari possunt, respiciendo quomodo Vincentius narrationem Galli Anonymi in phraseologia sublimis rhetorices suffocavisset. Nihilominus eam non esse iustum, iam Stanislaus Kętrzyński ostenderat, studiaque Vincentii in universitate extranea et quidem Bononiensi vindicavit. Nunc vero in suo magno posthumo opere celeberrimae memoriae Balzer attulit, quae vocari potest Vincentii rehabilitatio.

Sed res bene intelligi debet. B. non dat biographiam Vincentii neque eius valorem qua episcopi, politici etc. neque imo historici. Totus in eo est, ut exhibeat analysim chronicī, neque sub omnimodo respectu, sed solummodo qua fontem Vincentii educationis eruditio[n]isque. Tali modo thema valde restrictum videtur, sed in hac restrictione clarissimam lucem affert et plurima nobis de Vincentio aperit. Quod debemus duabus optime notissimis investigationis Balzer proprietatibus: accuratissimae analysi et fundo diligentissime cognito et descripto, utrisque structis super vastissima eruditione.

Brevissime modum procedendi Balzer indicamus. Dat subtilissimam analysim diversorum influxuum in chronicō apparentium, litterarum contemporanearum, iuris prudentiae tum canonicae tum romanae, philosophiae, theologiae, historiae naturalis, historiae antiquae, cognitionis linguarum latinae graecaeque, dat

conspectum styli accessoriorumque diversorum etc. etc. In quibus non nisi unum videtur nobis non nimis accurate exhibitum: bibliistica scientia Vincentii e. c. t. I, pag. 477 in analysi terminorum *filius ancillae, filius liberae* deest quod hi proveniunt ex Pauli epistola ad Galatas. Ceterum putamus quod explanatio chronici sub respectu theologico, imprimis biblistico, possit etiam studio Balzer absoluto, ulteriore lucem eius officinae scientificae superadferre. Sed iam haec analysis sufficit ad monstrandum in Vincentio virum summae eruditionis, encyclopaedicae educationis suo tempore maxime in Polonia. Certum est eum fuisse magistrum graduatum, certum quoque studia in universitate extranea persolvisse, at non Bononiae, sed in Gallia, sine dubio Parisiis. Certum est porro eum chronicon suum scripsisse qua opus historicum. Haec tria fundamentalia Balzer demonstravit et in eis eius opinio, non Wojciechowski nec St. Kętrzyński, sequenda erit. Attamen praeterea multa alia etiam elucubravit. Ipse Vincentius cum summa arte linguam et stylum Latinum tractavit. Balzer non haesitat eum mellifluo s. Bernardo comparare. In exarando chronicum gustum sui temporis secutus est scilicet gesta ducum et principum describenda esse, imprimis bellica. Sed etiam nonnulla propria Vincentii apparent, amor patriae coniunctus cum antipathia Germanorum, rhetorices flores in narrationem historiam introducti quod in tali gradu nullus chronicarius Europae occidentalis fecerat, ad summum talia in poesi quarenda essent. Denique Vincentius non erat solus in Polonia. Iam a medio s. XII inveniuntur viri docti. Cracoviae ante omnia totum *milieu* eruditorum reperitur cuius filius et membrum noster chronicarius apparuit. Proinde opus eius non solum eum qua unicum auctorem ornat. sicut e. g. Galli Anonymi sed quasi fructus totius doctae Cracoviae huius temporis considerandum est, in qua Vincentius reversus ex Gallia lucidissima stella eruditionis appetat.

Non dubitamus quin hanc positionem Vincentii in suo quadro historico contemporaneo qua supremum successum Balzer teneamus sub respectu historiae civilisationis.

Nihilominus sub alio quoque respectu actio Vincentii suique chronicci magni momenti evadit h. e. in efformandis mentibus quoad ideas concursus Ecclesiae et status. Ipse erat convictus sectator supremationis Ecclesiae, contrario ac Gallus — et sub tali obtutu suam narrationem texebat. Proinde patet eius opinio de s. Stanislao, proinde quoque defavorabilis pictura Mieszko Veteris, multaque alia. Erant haec in spiritu illius temporis, tamen non paulum valebat chronicon in firmandis talibus. Ex quibus etiam conclusio facilis patet ad actionem Vincentii qua viri politici.

Balzer Vincentium tractat cum patenti sympathia. Sed dat etiam aspectum debilium partium chronicci, non quidem expressis

verbis, at tota characteristica. Hic pertinet analysis, quomodo usus esset chronicō Galli, cui nihil historicum attulerit aut fere nihil, imo picturam antecessoris sui restrinxerit. Semper tamen eius optimam voluntatem tuetur.

Praeter suum immediatum valorem, opus Balzer affert deinde resultatum ulteriore magni momenti: depingit relationes inter terram nostram et Galliam. Quae coniunctio non est unica, iam extra Vincentium scimus de eis multa. Tamen non est minimum discere virum sui temporis eruditissimum, primum historicum natione Polonum, studia sua in fonte immediato civilisationis, in Gallia, hausisse atque, si in aliis diversa contra suum modum scribendi possunt opponi, tamen in stylo, in latinitate ipso s. Bernardo aequíparari posse.

Magnum opus suum Balzer non ad amissim finivit tum morte praeveniente, tum aliis anterioribus quae non omnino absolutum relegandum fecerant. Est ergo *torso*, tamen pauca ad perficiendum manent, ita ut lectori sufficienter pateat. Aliquas laudes ponere esset ululas Athenas portare. Debemus vero efferre meritum editricis d. Polaczkówna quae opus imprimendum curavit, annotationibus auxit, accuratissimis indicibus vix non 100 paginis locupletavit, breve conspectu in lingua Gallica adornavit. Opus editum est cura Societatis Scientiarum Leopolitanae cuius praesidium d. d. F. Bujak, J. Hirschler, W. Abraham, P. Dąbkowski prooemium redegerunt, disserendo de operibus posthumis Balzer, speciatim de hac maximi valoris publicatione.

Pińsk

Kamil Kantak.

Benesz Jaroslav: René Descartes či Tomáš Akvinsky.
V Praze 1935. Knihowna časopisu katl. Duchovenstva c. 3.

Titulus huius operis non omnino correspondet summae. Non enim continet comparationem systematum philosophicorum utriusque, sed praebet solummodo analysim Cartesiani. Neque etiam tractat totum eius opus philosophicum, sed nonnisi problema cognitionis quod auctor putat esse radicem totius philosophiae Cartesianaę. In evolvendo themate suo dr. B. ostendit Cartesium oppugnasse scepticismum et voluisse constituere firmum inexpugnabileque tutamen contra eum. Si propositum hoc est in summo gradu laudabile, tamen executio non potest dici feliciter absoluta. Modus electus ad debellandum scepticismum portam aperuit idealismo qui finaliter etiam scepticismum qua consequentiam habet. Unicus modus vincendi scepticismum inve-